DISSERTATIO III.

De gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate, epikeia, seu æquitate, dono pietatis, & præceptis justitiæ.

D. Th. QQ. 106. 107. 108. a Q. 114. ad Q. 122.

HUC usquè egimus de virtutibus Justitiæ annexis propter debitum legale: restat nùnc agendum de iis: quæ sunt annexæ Justitiæ propter debitum morale, seu honestatis, quæ sunt assignatæ in titulo. Subnectam secundùm methodum D. Th. ad complementum de dono Pietatis, & præcepti Justitiæ.

ARTICULUS I.

De Gratitudine.

DIco 1. Gratitudo, generatim sumpta, est virtus respiciens debitum ex beneficio, ad illud aliquo modo compensandum, vel agnitione beneficii accepti, vel gratiarum actione, vel altero beneficio. Sic sumpta se extendit ad Deum, parentes, superiores, & homines particulares; proindèque coincidit cum Religione, Pietate, & observantia.

Dico 2. (Q. 106. *a.* 1. *o.*) Gratitudo, specialiter sumpta, est virtus distincta a Religione, Pietate, & Observantia, respiciens tantùm benefactores particulares. Prob. (*Ib.*) Virtutes annexæ Justitiæ distinguuntur secundùm speciales rationes debiti ad alterum; atqui alia est ratio debiti in gratitudine specialiter sumpta, quàm in assignatis virtutibus: etenim ergà Deum primò & principaliter invenitur ratio debiti, quatenùs ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum, & hoc debitum respicit Religio. Secundariò ergà parentes, quatenùs sunt proximum principium nostræ generationis, & disciplinæ: et hoc debitum respicit Pietas. 3. Ergà superiores, quatenùs sunt principia gubernationis & bonorum communium: & huic debito correspondet Observantia. 4. Ergà benefactores privatos invenitur ratio debiti, quatenùs ab eis quædam beneficia particularia accipimus, cui debito satisfacit gratitudo specialiter sumpta: ergo est virtus distincta a Religione, Pietate, & Observantia, sicùt quodlibet posteriorum distinguitur a priori quasi ab ipso deficiens. Conf. Debitum, quod respiciunt Religio, Pietas, & Observantia, est legale; debitum verò, quod respicit gratitudo, est morale tantùm & honestatis: ergo. Non tamèn indè sequitur, nos non debere habere gratitudinem ergà Deum, parentes, & superiores; sed quia, ut jam innui, ergà illos non est simplex gratitudo, sed gratitudo cum quadam excellentia, secundùm rationem debiti strictioris, quo illis adstringimur.

Est autèm triplex officium (Q. 107. *a.* 2. *o.*) seu triplex quasi gradus gratitudinis. Primus est in animo, scilicèt agnitio & memoria accepti beneficii. Secundus in verbis declarando beneficium acceptum, Benefactorem laudando, &c. Tertius in factis, aliud beneficium retribuendo.

Ex quo patet, pauperes posse etiàm esse gratos, saltèm 1. & 2. modo, etiàm 3. quoad affectum.

Dico 3. (Q. 106. *a.* 5. *o.*) Gratitudo debet magis attendere affectum beneficiantis, quàm beneficium; quia gratitudo respicit beneficium secundùm quòd est gratis impensum; hac enim ratione formaliter est beneficium; atqui quòd beneficium gratis impendatur, pertinet ad affectum: ergo.

Dico 4. (*Ib. a.* 4. *o.*) Recompensatio gratitudinis debet fieri statim quoad affectum; quia beneficiatus debet ipsum beneficium grato animo recipere & agnoscere. Quantùm verò ad donum debet expectari tempus, quo recompensatio sit benefactori grata & opportuna; si enim non convenienti tempore statim velit aliquis munus pro munere rependere, non videtur esse virtuosa & grata compensatio, sed invita. Ut enim ait Seneca 4. de Benef. *Qui nimis citò cupit solvere, invitus debet; & qui invitus debet, ingratus est*; qui scilicèt non vult agnoscere beneficium, nec pro illo benefactori adstringi. Etenim *rejiciendi genus est*, inquit idem, *protinùs aliud invicèm mittere, & munus munere expungere.*

Dico 5. (*Ib. a.* 6. *o.*) debitum gratitudinis postulat, ut compensatio non solùm æquet beneficium, sed etiàm superet, saltèm secundùm affectum, si non possit secundùm effectum. Ratio est; (*Ib.*) Quia, qui gratis accipit beneficium, obligatur ex gratitudine, ut similiter aliquid gratis impendat; atqui non videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii; quia, si æquale tantùm impendat, nihil videtur præstare gratis suo benefactori, sed solùm reddetur, quod accepit: ergo gratitudinis recompensatio sempèr tendit, ut pro suo posse aliquid majus retribuat.

Petes, utrùm magis teneatur ad gratias Deo agendas innocens, quàm pœnitens? R. (*Ib. a.* 2. *o.*) Si consideretur magnitudo gratiæ collatæ absolutè per se & secundùm se, innocens tenetur ad majores gratiarum actiones; quia majus donum ei datur a Deo & magis continuatum, cæteris paribus, absolutè loquendo. Si autèm consideretur gratiæ magnitudo, in quantùm magis datur gratis, pœnitens magis tenetur ad gratiarum actiones, quàm innocens, quia magis datur gratis illud, quod ei datur a Deo; cum enim esset dignus pœna, datur ei gratia. Et sic, licèt illud donum, quod datur innocenti, sit absolutè consideratum majus, tamèn donum, quod datur pœnitenti, est majus comparativè ad ipsum, sicùt parvum donum pauperi datum est ei majus, quàm diviti magnum. Præponderat autèm (*Ib.*) hæc posterior consideratio, quia actus sunt circà singularia, adeòque in his, quæ agenda sunt, magis consideratur, quod est hic & nùnc tale, quàm quod est simpliciter tale.

ARTICULUS II.

De Ingratitudine.

INgratitudo (Q. 107. *a.* 2. *ad* 1.) est duplex: materialis & formalis. Formalis est, quandò beneficium, vel benefactoris animus contemnitur, ut non videaris ipsi obstrictus; sicùt inobedientia formalis, ut dictum est suprà, est, quandò contemnitur præceptum, vel præcipientis potestas, ut ipsi non pareas. Materialis ingratitudo est, quandò absquè contemptu, vel omittitur gratitudinis officium, vel committitur aliquid contrà benefactorem.

Undè ingratitudo (*Ib. o.* & *a.* 3. *o.*) tàm materialis, quàm formalis, est iterùm duplex: una privativa, omittendo aliquid, quod exigit gratitudo: altera contraria, agendo aliquid gratitudini repugnans. Et sicùt gratitudinis est triplex gradus, ut dixi Art. præced. nimirùm agnoscere beneficium, gratias pro illo agere, & factis, aut datis compensare: ità utriusque ingratitudinis est etiàm triplex gradus, ordine tamèn inverso, quia, quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione. Primus itaquè gradus ingratitudinis privativæ est, ut homo beneficium non retribuat. Secundus, quòd dissimulet, gratias non agens, nec demonstrans se beneficium accepisse. Tertius, & gravissimus, quòd non recognoscat, sive per oblivionem voluntariam, sive alio modo. Et quia negatio in affirmatione opposita intelligitur, ideò primus gradus ingratitudinis contrariæ est, quòd aliquis retribuat mala pro bonis. Secundus, quòd beneficium vituperet. Tertius, quòd beneficium quasi maleficium accipiat. Hi tamèn duo ultimi gradus ad solam ingratitudinem formalem pertinent. His notatis,

Dico 1. (*Ibid. a.* 1. *o.*) Omnis ingratitudo est peccatum, quia repugnat rectæ rationi & virtuti; ex hoc autèm aliquid est peccatum, quòd repugnet rectæ rationi & virtuti. Undè ab Apost. 2. ad Tim. 3. numeratur inter alia peccata: *Blasphemi, Parentibus inobedientes, ingrati*, &c.

Dico 1. (*Ibid. a.* 2. *o.* & *ad* 1.) Ingratitudo formalis est speciale peccatum, quia opponitur speciali virtuti, nimirùm gratitudini: idque indicat Apostolus verbis cit. Ingratitudo autèm materialis (*Ibid.*) non est speciale peccatum: sed, si sit in ordine ad Deum omnium datorem, est circumstantia generalis omnis peccati: si sit in ordine ad hominem benefactorem, est circumstantia peccati illius, quod committitur contrà illum. Undè in ordine ad Deum non est explicanda in Confessione, quia satis intelligitur. In ordine autèm ad hominem, in communiori Sententia de accusandis circumstantiis notabilitèr aggravantibus, aliquandò est explicanda, quandò nempè juxtà dicenda in conclusione sequenti, est notabilis: ut docet Cajet. in Summ. v. *Ingratitudo.*

Dico 3. (*Ibid. a.* 3. *o.*) Ingratitudo, sive formalis, sive materialis, sive privativa, sive contraria, quandoque est mortale peccatum, quandoquè veniale. Quantùm ad privativam, (*Ibid.*) si simùl sit, & contemptus planè deliberatus, & beneficii notabilis, erit mortale. Itèm, si, quod benefactori ex gratitudine debetur, & subtrahitur, sit illi valdè necessarium, ut si benefactori in gravi necessitate constituto opem deneges, cum ferre possis. Itèm, si ex omissione gratitudinis debitæ prævideas gravitèr offendendum benefactorem. Extrà hos casus, cum obligatio gratitudinis non sit stricti juris, sed tantùm ex debito honestatis, ejus omissio non erit mortalis; erit tamèn venialis; quia hoc provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione ad virtutem. Quantùm ad contrariam ingratitudinem (*Ibid.*) erit peccatum mortale, vel veniale secundùm conditionem operis, quod agitur contrà benefactorem; ità quod, si rependas grave malum pro bono: erit mortale; si leve, erit veniale.

Petes; utrùm ingratis sint beneficia subtrahenda? R. quòd circà ingratum duo sunt consideranda (*Ibid. a.* 4. *o.*) 1. Quid est quod ipse dignus sit pati; & sic certum est, quòd meretur beneficii subtractionem. Alio modo considerandum est, quid oporteat beneficum facere. Non debet esse facilis ad ingratitudinem judicandam; quia frequentèr aliquis, ut ait Seneca, qui non reddidit, gratus est; quia fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi. 2. Debet tendere ad hoc, quod de ingrato gratum faciat; quod si non potest primo beneficio facere, fortè faciet secundo. Si verò ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat, & pejor fiat, debet a beneficiorum exhibitione cessare.

ARTICULUS III.

De Vindicatione.

VIndicatio latè sumpta describitur ad August. libr. 83. QQ. q. 31. ex Tullio (Q. 108. *a.* 2. *o.*) *Per quam vis, aut injuria, & omninò omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur.* Quæ descriptio complectitur, & defensionem ab injuriis, quæ intentantur, & ultionem de injuriis jam factis, cum tamèn vindicatio priè sit tantùm de injuriis, quæ jam sunt, vel fuerunt. Undè (*Ibid. a.* 1. *o.*) Vindicatio strictè sumpta est ultio injuriæ per aliquod malum pœnale inflictum peccanti; & sic est redditio pro malo, mali scilicèt pœnalis pro malo culpabili. Est ergo in vindicatione considerandus animus vindicantis, seu vindicationem appetentis, ut noscatur, an sit licita. Undè

Dico 1. (*Ibid.*) Si intentio vindicantis feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omninò illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod repugnat charitati, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum, sicùt non excusatur aliquis per hoc, quòd odit se odientem; quia homo non debet in alium peccare propter hoc, quòd ille peccavit priùs in ipsum; hoc enim est vinci a malo, quod Apost. prohibet ad Rom. 12. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Si verò intentio vindicantis (*Ibid.*) feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta, ad emendationem peccantis, vel saltèm ad cohibitionem ejus, ad terrorem aliorum, ad quietem bonorum, ad justitiæ conservationem, seu redintegrationem, ad Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis, ut quòd fiat auctoritate publica, & juxtà mensuram delicti. Quia sic non nisi bonum intenditur, & per medium legitimum, cum pœna debeatur malefactori, non secùs, ac laus, & præmium benefactori.

Dixi: *Quòd fiat auctoritate publica*: Si enim fieret auctoritate privata, esset illicita, quia esset usurpatio potestatis alienæ, nempè Superioris; punire enim est actio habentis potestatem supèr eum, qui punitur: ergo, si a non habente potestatem supèr eum fiat, erit illicitum, & usurpatum. Et ideò pluriès in Scriptura prohibetur, signantèr ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes* (græcè ulciscentes) *charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, mihi vindicta, & ego retribuam.* Nec tamèn inde sequitur, virtutem vindicationis solis Superioribus competere, non particularibus. Etenim competit particularibus; non quidèm quòd ultionem per se exerceant, quod est proprium Superiorum, sed ut in eam appetendo dirigantur, scilicèt ut eam non odio, sed ex honesto fine appetant, nec majorem, quàm oporteat, nec aliter inferendam, quàm per auctoritatem legitimam, & quàm recta ratio postulat.

Dico 2. (*Ibid. a.* 2. *o.*) Vindicatio est virtus specialis. Prob. (*Ibid.*) Ad quamlibet inclinationem naturalem ritè, & debito modo regendam ordinatur aliqua virtus specialis, virtutes enim perficiunt nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales; atqui inest homini inclinatio naturalis ad reddendam pœnam malefactori, non secùs, ut jam dixi, ac benefactori præmium: ergo, ut hæc inclinatio debito modo exeat in actum, dari debet specialis aliqua virtus eam dirigens, quæ dicitur vindicatio.

Verùm adverte, ultionem mali non esse virtutem vindicationis sub omni respectu, quantumvis honesto. Si enim fiat, aut appetatur, ut malefactor emendetur, erit actus charitatis; si, ut servetur tranquillitas publica, erit actus justitiæ legalis; si ad honorem Dei, erit actus Religionis; si a Judice, quia id debet ratione officii Reip. vel parti petenti, erit actus Justitiæ commutativæ, & sic de cæteris. Sub duplici ergo tantùm respectu censeri debet specialis virtus. Primus est, si fiat, ut ordo Justitiæ servetur, aut redintegretur, redigens ad ordinem recti, quod extrà excurrit: hac ratione habet specialem rationem honesti, proindèque est specialis virtus. Sic Deus per vindicationem omnes, qui peccando ab ordine Justitiæ recedunt, ad ordinem reducit infligendo pœnam congruam, ut nihil remaneat inordinatum, sed omnia sint suis locis, & gradibus disposita.

Secundus, qui est præcedenti intimus, & ex eo sequitur, est, si fiat, aut appetatur, ut habeatur aliqua reparatio injuriæ, & satisfactio partis læsæ; dum enim malefactor punitur propter injuriam illatam, fit parti læsæ aliqua satisfactio; quatenùs is, qui læsit, plùs justo suæ voluntati indulsit, & alteri detraxit: dum autèm punitur, illud quodam modo ei adimitur, in quantùm contrà voluntatem patitur; & cum id fiat in gratiam partis læsæ, censetur ei donari; sicque fit quædam compensatio, & quædam satisfactio.

Si dicas, appetere reparationem injuriæ sibi factæ, & satisfactionem propriam, esse actum amoris proprii, & quid indifferens ad virtutem: id quidèm verum est quantùm ad substantiam actûs; quantùm ad modum tamèn erit actus virtutis vindicationis, si appetatur, ut legitimo modo fiat, nimirùm per auctoritatem publicam, & juxtà mensuram delicti. Simile est in eo, qui exigit solutionem debiti, aut reparationem damni, sed non nisi secundùm leges Justitiæ. Hic actus est quoad substantiam quidèm amoris proprii, utpotè affectus proprii commodi; quoad modum tamèn, quatenùs non vult reparationem nisi secundùm leges Justitiæ, est actus Justitiæ.

Hinc colliges, quòd, quamvis sit licitum appetere vindictam ad reparationem propriæ injuriæ, longè tamèn melius sit, regulariter loquendo, illam patientèr ferre, atque condonare propter Deum. 1. Quia, ut dixi, hic actus per se non est virtutis, sed amoris proprii; & quamvis quoad modum executionis sit virtutis, hæc tamèn virtus est parva, & multùm amore proprio admixta, a quo nempè movetur ad moderandum modum punitionis. 2. Quia periculum est, ne violetur charitas, & admisceatur odium. 3. Non est boni exempli; nemo enim laudatur propter appetitum vindictæ. 4. E contrà in tolerantia, & condonatione injuriæ propter Deum multa bona reperiuntur, scilicèt, charitas ergà Deum, & Proximum, imitatio Christi, & Patris Cœlestis, ædificatio Proximi, quandoquè lucrum animæ ipsius malefactoris, victoria sui, pax animi, & magna fiducia impetrandæ paritèr condonationis a Deo, juxtà illud Christi Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester Cœlestis delicta vestra.* Confer, quæ dixi in Tract. de Jure, & Justitia Dissert. 15. a. 1. §. 4.

Dico 3. (*Ibid. ad* 3.) Virtuti vindicationis opponuntur duo vitia; unum quidèm per excessum, scilicèt peccatum crudelitatis, vel sævitiæ, quæ excedit mensuram in puniendo. Aliud est vitium, quod consistit in defectu, sicùt cum aliquis est nimis remissus in puniendo: undè dicitur Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.*

ARTICULUS IV.

Utrùm vindicta sit exercenda in eos, qui non peccaverunt voluntariè.

DIco (*Ibid. a.* 4. *o.*) Pœna potest considerari dupliciter: uno modo secundùm rationem pœnæ; & secundùm hoc non debetur nisi voluntariè peccantibus, adeòque nec vindicta proprie dicta; quæ est justæ pœnæ irrogatio. Quia pœna ut pœna non infligitur nisi ad ultionem culpæ, seu ad reparandam æqualitatem Justitiæ violatam per peccatum, in quantùm ille, qui peccando nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contrà suam voluntatem patitur. Alio modo (*Ibid.*) potest considerari pœna, in quantùm est medicina, non solùm sanativa peccati præteriti, sed etiàm præservativa a peccato futuro, & provocativa in aliquod bonum. Et secundùm hoc aliquis interdùm punitur, seu potiùs affligitur sine culpa, non tamèn sine causa. Sic sæpè Deus affligit Justos per tribulationes, & pœnalitates hujus vitæ, non sempèr ad vindicanda eorum peccata, sed & frequentèr vel ad eorum humiliationem, & probationem, vel ad cavenda peccata in futurum, vel ut spreto mundo fortiùs Deo inhærcant, vel ut sibiipsis innotescant, vel ut sint in aliorum exemplum, manifesteturque gratis Dei in invicta eorum patientia, vel tandem propèr alias rationes, quas ipse novit, qui sic disponit. Undè jùre damnata est hæc propositio 72. intèr Baianas: *Omnes omninò Justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum.* Et hæc 70. intèr Quesnellianas: *Numquàm Deus affligit innocentes; & afflictiones sempèr serviunt vel ad puniendùm peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

Dices contrà 1. partèm: multi puniuntur pœna propriè dicta propèr peccata aliorum. Sic pro peccato Cham Canaan ejus filius maledictus fuit. Genes. 9. Giezi peccante, lepra transmittitur ad posteros 4. Reg. 5. Pro peccato David, Populum numerantis, Populus Israël punitus est. 2. Reg. ultim. &c. Undè Deus Exod. 20. dicit: *Ego sum Deus zelotes visitans iniquitatem Patrum in tertiam, & quartam generationem*: ergo. R. 1. (*Ibid. ad* 1.) Neminem unquam puniri pœna spirituali pro peccato alterius, quia pœna spiritualis pertinet ad animam, secundùm quam quilibet est liber sui. R. 2. (*Ibid.*) Pœna autèm temporali quandoquè unus punitur, seu affligitur pro peccato alterius triplici ratione. 1. Quia unus homo temporalitèr est res alterius; sicùt filii secundùm corpus sunt quædam res Patris, & servi sunt quædam res dominorum, subditi Principum, amici amicorum; & sic punitur ipse peccans, quandò punitur in re sua. Alio modo in quantùm peccatum unius derivatur in alterum vel per imitationem, vel per modum meriti, vel per aliqualem consensum, aut dissimulationem: sic interdùm boni simùl puniuntur temporalitèr cum malis, qui eorum peccata non redarguerunt. 3. Ad commendandam unitatem humanæ societatis, propèr quam unus debet sollicitus esse, ne peccet; & ad detestationem peccati, dum pœna unius redundat in omnes, quasi esssent omnes unum corpus. Et sic sempèr verum est, pœnam ut pœnam non infligi nisi aliquo modo voluntariè peccantibus; aliis verò non esse pœnam sub ratione pœnæ, sed medicinam, ut explicatum est in 2. parte conclusionis. Quod posset opponi de peccato originali, solvitur in Tract. de peccatis; ubi ostenditur esse nobis voluntarium voluntate capitis.

Petes, utrùm homines possint punire, seu affligere aliquem sine culpa? R. (*Ibid. ad* 3.) Quòd judicium humanum debet imitari divinum in manifestis Dei judiciis, quibus homines spiritualitèr damnat pro proprio peccato. Occulta verò Dei judicia, quibus temporalitèr aliquos punit, seu affligit absquè culpa, non potest humanum judicium imitari; quia homo non potest comprehendere horum judiciorum rationes, ut sciat, quid expediat unicuique. Et ideò numquàm secundùm humanum judicium aliquis debet puniri sine culpa pœna positiva, seu flagelli, v. gr. ut occidatur, mutiletur, vel verberetur. Pœna autèm privativa, seu damni punitur aliquis secundùm humanum judicium etiàm sine culpa, sed non sine causa. Et hoc triplicitèr. Uno modo ex hoc, quòd aliquis ineptus redditur sine sua culpa ad aliquod bonum habendum, vel consequendum, sicùt propèr bigamiam, vel judicium sanguinis aliquis impeditur a sacris Ordinibus. 2. Quia bonum, in quo damnificatur, non est proprium bonum, sed commune: sicùt quòd Ecclesia habeat, vel non habeat Episcopatum, pertinet ad bonum totius civitatis, non autèm ad bonum Clericorum tantùm. 3. Quia bonum unius dependet ex bono alterius; sicùt in crimine læsæ Majestatis, propèr quod bona criminosi addicuntur Fisco, filius amittit hæreditatem propèr peccatum patris. Et de hac pœna privativa intelligenda est regula 23. Juris in 6. quæ videtur ex hoc textu desumpta: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

Sequitur in textu de veritate, mendacio, & aliis vitiis veritati oppositis. Sed de his egimus, dùm de perjurio in Tract. de Religione. Require ibi. Interim sit

ARTICULUS V.

De Affabilitate, Adulatione, & Litigio.

AFfabilitas (*Q.* 114. *a.* 1. *ad* 1.) quandoquè vocatur amicitia: non habet tamèn perfectam rationem amicitiæ, quæ in mutuo amore consistit, sed tantùm quamdam ejus similitudinem, in quantùm quis decentèr se habet ad illos, cum quibus conversatur, quasi ad amicos, non quidèm ex benevolentia, aut quòd ipsis benè velit, quod est proprium amicitiæ; sed quia ità congruit ad vitam socialem. Alio nomine dicitur Comitas, Urbanitas, Honestas; Gallicè, *Politesse*, *Honeteté*, *Civilité.* Est ergo affabilitas (*Ibid. o.*) virtus, qua quis ex debito vitæ socialis in communi victu se decentèr habet ad alios, spectata conditione personarum, & aliis circumstantiis, sic ut neque nimis blandè, neque nimis asperè se gerat in consortio; sed è contrà omnibus tàm amicis, quàm extraneis ejus conversatio (*Ibid. a.* 2. *ad* 1.) sit rationabilitèr grata, & suavis: nisi propèr aliquam causam v. gr. propèr salutem proximi, aut gloriam Dei, necesse sit aliquandò alios utilitèr contristare, sicùt fecit Paulus ergà Corinthios Ep. 1. c. 5. de quibus dicit Ep. 2. c. 7. *Essi contristavi vos in Epistola, non me pœnitet*: quia, ut jam innui, non quærit hæc virtus delectationem nisi rationabilem, & quæ postponatur majori bono.

Dico 1. (*Ib. a.* 1. & 2. *o.*) Affabilitas est specialis virtus, justitiæ annexa. Ratio (*Ibid. a.* 1. *o.*) 1. partis est; quia versatur circà specialem rationem boni, nimirùm circà hoc quòd homo convenientèr ad alios homines ordinetur in communi conversatione, tàm in factis, quàm in dictis, ut ad unumquemque se habeat secundùm quòd decet, & exigit vita socialis. Ratio 2. partis est (*Ibid. a.* 2. *o.*) Quia hæc virtus convenit cum justitia in hoc, quòd sit ad alterum; deficit autèm a ratione justitiæ, quia non habent plenam rationem debiti, neque legalis, ad cujus solutionem lex cogit; neque provenientis ex aliquo beneficio recepto, quomodò aliquid est debitum parentibus, superioribus, & benefactoribus; sed habet rationem debiti honestatis, quia naturæ socialis tumus: undè magis se tenet hoc debitum ex parte illius, in quo est affabilitas, quàm ex parte illorum, quibus exhibetur; licèt etiàm eorum consideratio non sit excludenda. Hæc porrò virtus sic est necessaria, ut sine ea parùm simus idonei ad vitam socialem: sicùt enim homo non potest vivere in societate sine veracitate, ità vix sine affabilitate.

Dico 2. (*Q.* 115. *a.* 1. *o.*) Virtuti affabilitatis opponuntur duo vitia: unum per excessum, scilicèt adulatio; aliud per defectum, scilicèt morositas, seu litigium (*Q.* 116. *a.* 1. *o.*) Adulatio est, (*Q.* 115. *a.* 1. *o.*) quandò quis suprà debitum modum virtutis vult alios vel verbis, vel factis delectare in communi conversatione. Quòd si id faciat sola intentione delectandi, vocatur *Placidus*, a nimio desiderio placendi; si intentione alicujus utilitatis consequendæ vocatur *Adulator*: communitèr tamèn utrumque sub nomine adulationis comprehenditur.

Morositas (*Q.* 116. *a.* 1. *o.*) seu litigium est, quandò quis se præbet difficilem in consortio, numquàm acquiescens, sed sempèr contradicens verbis alterius, non quidem ex defectu amoris animos unientis; sic enim pertinet ad discordiam, quæ opponitur charitati; neque ex ira, sic enim opponitur mansuetudini; sed ex intentione non placendi, aut contristandi, aut suis moribus obsequatur. Vocatur ab Auctore *Litigium*; quia, qui sic est morosus, facilè, & sæpè lites excitat.

Dico 3. (*Q.* 115. *a.* 2. *o.*) Adulatio per se non est peccatum mortale; quia est tantùm excessus in studio placendi, & delectandi, quod non videtur gravitèr repugnare charitati. Triplici ratione fit mortale. (*Ibid.*) 1. Ratione materiæ; ut cum quis laudat peccatum alterius saltèm mortale; hoc enim gravitèr contrariatur dilectioni Dei, contrà cujus justitiam adulator loquitur, & dilectioni proximi, quem in peccato fovet: undè illud Isaiæ 5. *Væ, qui dicitis malum bonum.* 2. Ratione intentionis inferendi damnum notabile, sive, corporalitèr, sive spiritualitèr. 3. Per occasionem, seu ratione effectûs, ut cum quis, etiàm absquè expressa intentione nocendi, nocet tamèn notabilitèr, dans nempè alteri per suam occasionem adulationem gravis peccati, quod poterat prævidere & avertere. Confer, quæ dicuntur de scandalo.

Dico 4. Morositas, seu litigium non videtur etiàm secundùm se peccatum mortale. Quia secundùm se adfert tantùm aliquam molestiam in consortio. Undè non contrariatur gravitèr charitati: quamvis non nihil noceat vitæ sociali, non tamèn ipsam omninò avertit.

Dico 5. (*Ibid. q.* 116. *a.* 2. *o.*) Morositas secundùm se est peccatum gravius adulatione; quia magis contrariatur virtuti oppositæ scilicèt affabilitati; affabilitas enim principaliùs tendit ad delectandum, quàm ad contristandum; atqui morosus, seu litigiosus superabundat in contristando, adulator in delectando: ergo. Nec obstat, (*Ib. a.* 2. & 3.) quòd adulatio sit turpior morositate. Non enim sempèr id, quod est turpius, est gravius, ut patet in peccatis carnalibus, quæ turpiora sunt peccatis spiritualibus, non tamèn ideò graviora. Si verò considerentur (*Ibid. o.*) ista vitia secundùm causas finales, quandoquè adulatio est gravior, quandoquè morositas, prout nempè fuerit finis, qui intenditur.

ARTICULUS VI.

De Liberalitate.

DIco 1. (*Quæst.* 117. *a.* 1. *ad* 3. *a.* 2. *ad* 1. *a.* 1. *ad* 5.) Liberalitas est virtus moderans amorem divitiarum, & reddens hominem facilem & promptum ad eas erogandas, quandò recta ratio dictat. Ex quo patet (*Ibid. art.* 1. *o.*) quòd sit vera virtus; quia ad virtutem pertinet benè uti iis, quibus malè uti possimus.

Dico 2. (*Ibid. art.* 2. *ad* 1.) Liberalitas versatur immediatè circà passiones, nimirùm æstimationem & affectum pecuniarum, utrumque moderando, sic ut non æstimentur, nec amentur, plùs minùsve, quàm debeant amari & æstimari. Mediatè versatur (*Ibid. o. & art.* 3. *ad* 3.) circà ipsum usum divitiarum; uno modo indirectè tolendo impedimentum recti usûs, scilicèt nimium amorem earum: secundo modo, directè movendo ad earum hilarem & promptam elargitionem, prout recta ratio postulat. (*Ibid. a.* 4. *o. & ad* 4.) Dico, *elargitionem*; quia ad usum pecuniæ ergà seipsum natura satis unumquemque movet; ad eam autèm aliis elargiendam, quandò & quomodò oportet, opus ex virtute naturæ superaddita. Ex 1. parte conclusionis (*Ibid. art.* 1. *ad* 3.) inferes, etiàm pauperes posse habere virtutem liberalitatis, quatenùs potest esse in eis affectus & habitus liberalitèr erogandi, si haberent; & quandoquè major & perfectior, quàm in eis, qui multa erogant.

Dico 3. (*Ib. art.* 5. *o.*) Liberalitas est virtus annexa justitiæ; quia, licèt deficiat a justitia in eo, quòd justitia exhibeat alteri, quod ejus est, liberalitas autèm, quòd suum est, convenit tamèn cum illa in duobus. 1. Quòd sit ad alterum. 2. Quòd sit circà res exteriores, sicùt justitia. Nec obstat, (*Ibid. ad* 3.) quòd dare convenientèr, quod suum est, proprium sit misericordiæ & beneficentiæ, quæ pertinent ad charitatem; id enim fit sub diversis motivis. Misericordia dat convenientèr quod suum est, aliis, quia indigent; beneficentia, quia diligit; sed liberalitas præcisè ex ipsa moderatione affectûs ergà divitias, quas non æstimat, nec amat plusquàm oportet. Undè non solùm amicis, sed etiàm ignotis dat, quandò oportet. Differt (*Ib. art.* 3. *ad* 1.) autèm liberalitas a magnificentia in eo, quòd magnificentia utatur divitiis secundùm aliquam specialem rationem, nimirùm, secundùm quòd assumuntur in alicujus operis magis expletionem; cum e contrà liberalitas versetur circà mediocres erogationes. Undè magnificentia quodammodò se habet ex additione ad liberalitatem, ut dicetur infrà.

Dico 4. (*Ib. art.* 6. *o.*) Liberalitas non est per se maxima virtutum; quia moderatur affectum circà possessionem & usum divitiarum, quod minus est, quàm moderari passiones pertinentes ad proprium corpus, quod facit temperantia; & quàm procurare bonum commune, quod facit justitia & fortitudo; & quàm versari circà bonum divinum, quod faciunt virtutes Theologicæ: bonum enim divinum præèminet cuilibet bono humano, in bonis humanis bonum commune præeminet bono privato, & bonum corporis bono exteriorum rerum. Attamèn (*Ibid.*) ex consequenti habet quamdam excellentiam, & ad multa utilis est. Ex hoc enim quòd homo non sit plus æquo affectus pecuniis, sequitur quòd facilè iis utatur & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum, & ad honorem Dei.

ARTICULUS VII.

De Avaritia.

NOmen avaritiæ (*Q.* 118. *a.* 2. *o.*) desumptum est ab *Aveo*, seu cupio. Generalitèr sumptum, significat inordinatum amorem habendi quamcumque rem, sive divitias, sive honorem, sive sanitatem, &c. Specialitèr sumptum, significat inordinatum amorem habendi possessiones, seu divitias. Undè

Dico 1. (*Ib. a.* 1. 2. & 4. *o.*) Avaritia est *immoderatus amor divitiarum.* Undè sequitur, quod sit peccatum, cum excedat debitum modum in appetendo divitias: & quod sit speciale peccatum, cum versetur circà speciale objectum, scilicèt circa divitias, eas inordinate amando.

Dico 1. (*Ibid. a.* 3. & 4. *o.*) Avaritia partim opponitur justitiæ, & ex ea parte est ex genere suo peccatum mortale; partim opponitur liberalitati, & ex ea parte est ex genere suo peccatum veniale tantùm.

Explicatur: (*Ib.*) Avaritia potest considerari dupliciter: Uno modo secundùm quod est immoderantia immediatè circà ipsam acceptionem & conservationem divitiarum, in quantùm aliquis ultrà debitum modum acquirit divitias cum damno alterius, aliena surripiendo, aut detinendo, & hoc modo opponitur Justitiæ, estque ex genere suo peccatum mortale; sic enim pertinet ad rapinan & furtum, & hoc sensu fures, raptores, usurarii, &c. dicuntur avari. Alio modo (*Ibid.*) potest considerari, secundùm quòd est immoderantia circà ipsas interiores affectiones divitiarum, in quantùm aliquis nimis amat, vel desiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, absquè tamèn voluntate eas acquirendi, aut retinendi cum damno alterius. Et hoc modo opponitur liberalitati, quæ moderatur hujusmodi affectiones. Estque peccatum secundùm se veniale tantùm; quia est tantùm excessus in amore rei secundùm se indifferentis & licitæ, quod non repugnat gravitèr rationi, aut legi. Potest tamèn fieri mortale; (*Ibid.*) si nempè ità crescat amor divitiarum, ut quis propèr eas acquirendas, vel conservandas paratus sit violare aliquod præceptum obligans sub mortale, ut pejerare, non audire Sacrum die festo, non subvenire pauperibus in gravi, vel extrema necessitate, &c.

Dico 3. (*Ibid. art.* 5. *o.*) Peccatum avaritiæ secundùm quid est turpius & gravius aliis peccatis; simplicitèr autèm est minùs grave. Explicatur: (*Ibid.*) Si peccatum avaritiæ consideretur ex parte boni, cui inordinatè subditur appetitus humanus, est aliis peccatis turpius & quodammodò gravius: quia tantò deformius est peccatum, quanto minus est bonum, cui appetitus inordinatè subjicitur: turpius est enim subesse inferiori bono, quàm superiori; atqui bonum exteriorum rerum, cui subjicitur avarus, est infimum intèr bona humana; est enim minus bonum, quàm corporis, & hoc minus, quàm bonum animæ, quod excediturà bono divino: ergo.

Si verò consideretur (*Ib.*) peccatum avaritiæ ex parte boni, quod corrumpit, seu quod privat, non est aliis peccatis gravius; quia ex illa parte tantò peccatum est gravius, quantò majori bono privat: & secundùm hoc peccatum, quod est contrà Deum, est gravissimum; & sub hoc est peccatum contrà personam hominis propriam, vel alienam, sub quo est peccatum, quod est contrà res exteriores, quæ sunt ad usum hominis deputatæ, quod pertinet ad avaritiam: ergo. Sed quia hæc secunda consideratio est potior, quatenùs privatio boni se habet formalitèr in peccato, conversio autèm ad bonum commutabile se habet materialitèr; ideò simplicitèr est dicendum, avaritiam non esse maximum omnium peccatorum.

Nec obstat, quòd Eccl. 10. dicatur: *Avaro nihil est scelestius*: & infrà: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projicit intima sua*: Hæc enim vera sunt 1. (*Ib. ad* 1.) loquendo de avaritia ex parte boni, cui subditur appetitus, ut dictum est. 2. Quia nullum est vitium, quod ad plura scelera impellat, quodque sit magis noxium a Reip. plerumquè enim avarus est ad quamlibet sui-

iniquitatem paratus proptèr divitias. Undè Apost. 1. ad Tim. 6. dicit *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas*, scilicet divitiarum, ac ideò est peccatum capitale, ut dicam modò.

Vocatur (*Ibid. ad* 4. *& Lect.* 3. *in cap.* 5. *ad Eph.*) etiàm ad Eph. 5. Idolorum servitus proptèr duo 1. Quia, sicùt Idololatra se subjicit creaturæ exteriori, ità & avarus; diverso tamèn modo, ille ad colendùm, iste ad immoderatè amandum proptèr usum. 2. Quia, sicùt Idololatra agit propter Idolum tamquàm proptèr finem, in quo ponit fiduciam; ità avarus proptèr materiam Idoli, quæ est aurum & argentum. Itèm dicitur peccatum periculosum & insanabile; (*Ibid. ad* 3.) quia latentèr irrepti sub prætextu necessitatis præsentis, vel futuræ, & sub pallio virtutis occultatur, quasi esset providenti in futura circà necessaria vitæ & decentia statui. Undè, cùm pauci suum morbum agnoscant, difficilè sanantur. Non est peccatum merè carnale, (*Ibid. art.* 6. *o. & ad* 1.) quia non perficitur in carnali delectatione; neque merè spirituale, quia versatur circà objectum corporale; sed medium inter peccata purè spiritualia & purè corporalia.

Dico 4. (*Ib. a.* 7. *o.*) Avaritia est vitium capitale. Quia vitium capitale dicitur, ex quo tamquàm ex capite, seu fonte multa alia vitia oriuntur secundùm rationem finis. Atqui ex avaritia multa vitia oriuntur secundùm rationem finis. Quot enim peccata proptèr pecuniam (quæ est objectum avaritiæ) sive acquirendam, sive retinendam, committuntur tamquàm proptèr finem ab avaro intentum? jam patet ex dictis conclusione præced. & magis patebit ex seq. Undè

Dico 5. (*Ibid. art.* 8. *o.*) Sunt septem filiæ avaritiæ, quas enumerat D. Gregorius libr. 3. Moral. cap. 31. scilicèt *Obduratio cordis* contrà misericordiam, *inquietudo, violentia, fallacia, perjurium, fraus, & proditio*. Prob. (*Ibid.*) Filiæ avaritiæ dicuntur ea vitia, quæ ex ipsa oriuntur, præcipuè secundùm appetitum finis; atqui sic est de septem assignatis: ergo. Prob. Min. Avaritia in duobus excedit; 1. In retinendo, & secundùm hoc ex illa oritur *Obduratio cordis*, quod misericordia non emollitur, ut subveniat miseris. 2. Excedit in acquirendo; & hoc dupliciter secundùm affectum; & secundùm effectum. Proùt excedit secundùm affectum, parit *Inquietudinem*, & curas superfluas, proùt excedit secundùm effectum, quandoquè utitur vi, quod pertinet ad *Violentiam*: quandoquè dolo; quod si fiat in verbo simplici erit *Fallacia*; si addito juramento, erit *Perjurium*; si dolus committatur in opere, erit *Fraus*; si contra personas, erit *Proditio*: ut patet ex Juda, qui ex avaritia prodidit Christum.

ARTICULUS VIII.

De Prodigalitate.

PRodigalitas est erogatio superflua rerum suarum. Dico 1. (*Q.* 119. *a.* 1. *o.*) Prodigalitas opponitur avaritiæ secundùm excessum & defectum, diversimodè. Nàm in affectione divitiarum avarus excedit plùs debito eas diligens; prodigus autèm deficit, minus debito earum solicitudinem gerens. Circà ipsas divitias exteriores excedit prodigus in dando, deficit in retinendo & acquirendo: avarus autèm e contrà deficit in dando, & excedit in accipiendo & retinendo. Potest tamèn contingere, (*Ibid. ad.* 1.) Quòd idem sit simùl avarus & prodigus secundùm diversa: puta, prodigus in dando, avarus in acquirendo. Sunt enim, qui, ut suæ profusioni sufficiant, undequaquè per fas & nefas surripiunt.

Dico (*Ibid. a.* 2. *o.*) Prodigalitas opponitur etiàm liberalitati: quia liberalitas ponit modum secundùm rectam rationem in erogandis divitiis; quem modum non servat, sed tollit prodigalitas. Non itaquè præcisè ex quantitate dati pensandus est excessus prodigi; nihil enim impedit, quin aliquandò plus eroget liberalis, quàm prodigus; ex eo quòd non eroget secundùm dictamen rectæ rationis, quatenùs dat ubi, quandò, quod, & quibus dare non debet.

Hinc sequitur 1. (*Ib.*) prodigalitatem esse peccatum. 1. Quia omne, quod recedit a medio virtutis, peccatum est. 2. Quia, licèt prodigus sit rerum suarum dominius, habet tamèn dominum superiorem, nempè Deum, contra cujus voluntatem de iis disponit.

Sequitur 2. (*Ib. a.* 2. *o.*) esse minus peccatum, quàm avaritia. 1. Quia avaritia magis differt a virtute opposita; magis enim ad liberalitatem pertinet dare, in quo superabundat prodigus, quàm accipere, vel retinere, in quo superabundat avarus. 2. Quia prodigus est multis utilis, avarus autèm nulli, sed nec sibipsi. 3. Quia prodigalitas est facilè sanabilis, scilicèt per ætatem & egestatem, quam sæpè causat; non sic avaritia, ut dictum est.

Sequitur 3. prodigalitatem secundùm se esse tantùm peccatum veniale. 1. Quia est minus peccatum, quàm avaritia, quæ secundùm se est tantùm venialis, ut dixi art. præced. 2. Quia prodigus est dominus suarum divitiarum, & divitiæ sunt ex inhimis bonis; undè non videtur mortalis inordinatio ibi sistendo.

Potest tamèn esse peccatum mortale. 1. Ratione finis, ut si opes profundantur proptèr finem mortaliter malum, v. gr. proptèr luxuriam. 2. Ratione damni indè sequentis, ut si sua prodigando fiat prodigus impotens vel ad solvenda debita, vel ad procuranda necessaria familiæ; vel, ut profussè expendat, omittat facere eleëmosynas in gravi necessitate. 3. Ratione specialis obligationis superflua erogandi in causas pias, ut in Ecclesiasticis Beneficiatis.

ARTICULUS IX.

De Epiikeia, seu Æquitate.

EPiikeia dicitur (*Q.* 120. *a.* 2. *o.*) a verbo græco *Epi*, id est, suprà, & *Dikaion*, quod est justum, quasi suprà justum, latinè tedditur *Æquitas*.

Dico: Epiikeia, seu æquitas est virtus directiva Legis, ubi deficit proptèr universale. Explicatur. (*Ibid. a.* 1. *o.*) Cum humani actus, de quibus dantur Leges, in singularibus contingentibus consistant, quæ infinitis modis variari possunt, non est possibile aliquam Legem institui, quæ in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accipit, & secundùm hoc legem ferunt; quam tamèn in aliquibus casibus servare esset contrà æquitatem justitiæ, & contrà bonum commune, quod lex, seu legislator intendunt. Sic v. gr. lex instituit, quòd deposita reddantur, quia hoc ut in pluribus justum est; contingit tamen aliquandò esse nocivum, puta, si furiosus reposceret gladium depositum, quandò est in furia, aut alter in impugnationem Patriæ. In his ergo & similibus casibus malum esset sequi legem positam; bonum autèm prætermissis verbis legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio & communis utilitas, quod est quod intenditur a legislatore: & ad hoc ordinatur Epiikeia. Undè patet, quòd sit, ut dixi, virtus directiva legis, ubi deficit proptèr universale. Objectum itaquè hujus virtutis est bonum commune, non qualicumque modo, sed quærendum præter communes regulas, & prætèr verba legis in casibus particularibus, in quibus si ipsa lex obligaret, in malum vergeret proptèr suam universalitatem: quod cùm habeat specialem difficultatem, (in hoc enim hærent quandoquè ipsi docti, qui zelo legis ducti ejus verba scrupulosiùs sectantur) indiget aliqua speciali virtute.

Dico 2. (*Ibid. a.* 2. *o.*) Epiikeia, seu æquitas est pars subjectiva justitiæ legalis, communitèr dictæ. Prob. Justitia, legalis communitèr dicta respicit bonum commune, vel secundùm verba legis, vel secundùm intentionem superiorem sive extrinsecam legislatoris. Si primum est justitia legalis strictè dicta. Si secundum, est Epiikeia, seu æquitas: ergo. Et quia intentio legislatoris potissimum spectari debet, ideò Epiikeia est pars potior justitiæ legalis (*Ibid. ad* 1.)

Dixi: *Secundùm intentionem superiorem, sive extrinsecam legislatoris*: quia duplex est intentio legislatoris in lege condenda; una intrinseca ipsis verbis legis, & hæc cum verbis facit unum membrum distinctionis. Altera superior & extrinseca verbis legis, & facit alterum membrum: v. gr. intentio intrinseca legislatoris in lege reddendi depositi est, ut unicuique quod suum est, reddatur & hanc cum verbis respicit justitia legalis strictè dicta: superior & extrinseca est, quòd reddatur, quod suum est ut utile & bono communi conveniens, & hanc respicit Epiikeia. Consule Cajetanum in hanc quæst.

AR-

ARTICULUS X.

De Dono Pietatis.

JUxtà methodum, quam S. Th. proponit in Prologo hujus partis, postquàm egit de aliqua virtute & de vitiis oppositis, subjungit de dono huic virtuti correspondenti & de ejus præceptis. Undè cum ipso

Dico 1. (*Q.* 121. *a.* 1. *o.*) Pietas ergà Deum ut patrem est donum Spiritûs S. correspondens virtuti Justitiæ. Quia donum Spiritûs S. est quædam habitualis dispositio animæ, qua est promptè mobilis, non quidèm a ratione etiamsi virtutibus infusis instructa, nec secundùm, ea quæ communitèr in deliberationem veniunt, sed a Deo modo quodam divino & instinctu speciali prætèr communem modum inspirante; quod convenit Pietati ergà Deum, quæ exhibet cultum & obsequium Deo ut patri. Religio enim id exhibet Deo ut primo principio, & Pietas ut virtus id exhibet patri carnali. Consule 1. 2. q. 68. Correspondet autèm Justitiæ, quatenùs est ad alterum, sicùt Justitia.

Dico 2. (*Ib. a.* 2. *o.*) Si convenientia Donorum & Beatitudinum consideretur secundùm rationem objecti & actûs, Dono Pietatis correspondent ex octo Beatitudinibus tertia & quarta, scilicèt desiderium Justitiæ, & misericordia ad alios proptèr Deum communem patrem omnium. Aliqualitèr etiàm correspondet secunda, quatenùs per mansuetudinem tolluntur impedimenta actuum Pietatis.

ARTICULUS XI.

De Præceptis Justitiæ, quæ sunt Præcepta Decalogi.

DIco 1. (*Q.* 122. *a.* 1. *o.*) Præcepta Decalogi sunt præcepta Justitiæ; quia intèr virtutes Cardinales sola Justitia respicit rationem debiti ad alterum. Omnia autèm præcepta Decalogi id respiciunt: etenim tria prima præscribunt, quæ debemus Deo; quartum, quæ debemus parentibus & superioribus; sex ultima, quæ debemus æqualibus, seu indiscriminatim omnibus.

Dico 2. (*Ib. a.* 2. 3. 4. 5. 6. *o.*) Decem Præcepta Decalogi convenientèr ordinata sunt. Prob. (*Ib. a.* 2. *o.*) Præcepta Decalogi instituta sunt ad formandum hominem ad virtutem; ad legem enim pertinet facere homines bonos & virtuosos: ergo oportuit Præcepta Decalogi ordinari secundùm ordinem generationis, qua scilicèt fit homo bonus & virtuosus.

Porrò (*Ib.*) in ordine generationis duo sunt attendenda. Primum, quòd prima pars constituatur, ut in generatione hominis cor; in domo fundamentum; in bono morali, seu animæ, bonitas voluntatis, ex qua aliquis benè utitur qualibet alia bonitate. Bonitas autèm voluntatis attenditur penès objectum suum, quod est finis: & ideò eo, qui per legem erat instituendus ad virtutem, 1. oportuit quasi jacere quoddam fundamentum Religionis, per quam homo debitè ordinatur in Deum, qui est ultimus finis humanæ voluntatis. Sed (*Ibid.*) quia (& hoc secundum attendendum) in ordine generationis antequàm prima pars constituatur, contraria & impedimenta tolli debent; priùs enim agricola purgat agrum, quàm semen spargat; ideò antè omnia homo sic erat circà Religionem instituendus, ut veræ Religionis impedimenta excluderet.

Præcipuum autèm impedimentum (*Ib.*) veræ Religionis est, est quòd homo falso Deo inhæreat, aut verum indebitè colat. Et ad hoc excludendum ponitur primum præceptum: *Non habebis Deos alienos*; &c. Exod. 20.

Post exclusum primum impedimentum, (*Ibid. a.* 3. *o.*) quod opponitur veræ Religioni per excessum, & pertinet ad superstitionem, quæ impedit, ne suscipiatur verus Deus ad colendum, convenientèr tollitur aliud, quod opponitur Religioni per defectum, & est irreligiositas, quæ impedit, quominùs Deus, postquàm susceptus, est honoretur: prius est enim Deum suscipere ad colendum, quàm susceptum honorare: ergo, præmisso præcepto, quo prohibetur superstitio, convenientèr ponitur secundum, quo prohibetur perjurium, seu omnis inordinata & irreverens divini nominis assumptio. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ibid.

Remotis (*Ibid. art.* 4. *o.*) impedimentis veræ Religionis per primum & secundum præceptum, consequens erat, ut tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera Religione fundarentur. Ad Religionem verò pertinet cultum Deo exhibere. Undè convenientèr ponitur tertium præceptum de sanctificatione Sabbathi. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*, Ibid.

Et quia (*Ibid. art.* 5. *o.*) Præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei & Proximi, tamquàm ad finem: intèr proximos autèm maximè obligamur parentibus; ideò immediatè post præcepta ordinantia nos ad Deum ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse; sicùt Deus est universale principium nostri esse: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ibid. Intelligendo nomine *patris* & *matris* quoscumque superiores.

Tandèm (*Ib. a.* 6. *o.*) sicùt per præfatas partes potentiales Justitiæ, Religionem scilicèt & Pietatem, debitum redditur aliquibus determinatis personis, quibus homo ex aliqua speciali ratione obligatur, ità per Justitiam ipsam propriè dictam aliquis debitum reddit indiscriminatim omnibus: & ideò post tria prima præcepta pertinentia ad Religionem, qua redditur speciale debitum Deo, & post quartum quod est Pietatis, qua redditur parentibus speciale debitum, necesse fuit, quod ponerentur consequentèr aliqua præcepta pertinentia ad Justitiam propriè dictam, quæ indifferentèr omnibus debitum reddit.

Et ad hoc (*Ibid. ad* 2.) ponuntur sex ultima præcepta, quibus prohibemur inferre nocumentum proximo. 1. In persona ejus: *Non occides.* Ibid. quod est quintum præceptum; ubi sub homicidio tamquàm sub principaliori intelliguntur omnia nocumenta personalia. 2. Per sextum præceptum vetamur illi inferre nocumentum maximè per libidinem in persona illi conjuncta: *Non mœchaberis.* Ibidem 3. Per septimum prohibemur nocere ei in rebus exterioribus corporalibus: *Non furtum facies.* Ibid. 4. Per octavum prohibemur ei nocere in rebus externis corporalibus, scilicèt fama & honore: *Non loqueris contrà proximum tuum falsum testimonium.* Ibid. 5. Per nonum Prohibetur voluntas adulterandi; & per decimum voluntas furandi: *Non concupisces domum proximi, nec desiderabis uxorem ejus.* Ibid.

Equidèm per 7. & 8. præceptum, quibus prohibetur adulterium & furtum, etiàm dubio procùl prohibetur eorum voluntas, sicùt per præcepta, *Non occides, non loqueris falsum testimonium*, prohibetur voluntas homicidii & falsi testimonii. Ne quis tamèn putaret, his præceptis solùm prohiberi opera externa adulterii & furti, & non eorum voluntatem, quales erant plures intèr carnales Judæos, & etiamnùm intèr rudes Christianos, voluit Deus hanc utramque concupiscentiam specialibus & distinctis præceptis prohibere.

Ideò verò (*Ib. a.* 4. *&* 1. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 5.) concupiscentiam adulterii & furti potiùs, quàm homicidii & falsi testimonii specialitèr prohibuit; quia adulterium habet rationem boni delectabilis, furtum rationem boni utilis; & ideò fortius & frequentiùs animum alliciunt. Homicidium secundùm se, sicùt & falsum testimonium, sunt potiùs horribilia, quàm concupiscibilia; vita enim hominis, sicùt & veritas, naturalitèr amantur.

Potest addi cum Sylvio, quædam his duobus ultimis præceptis prohiberi, quæ non nisi valdè implicitè & obscurè 7. & 8. prohibentur: nimirùm omnem inordinatam uxoris, aut rei alienæ concupiscentiam, etiamsi non appareat esse contrà justitiam: ut si quis inordinatè concupisceret uxorem alienam, etiamsi nollet eam possidere, quamdiù est alterius: itèm, si quis concupisceret rem alienam justo quidèm pretio, sed contrà voluntatem domini, ut fecit Achab ergà vineam Naboth. 3. Reg. 21.

Quantùm ad divisionem (1. 2. *q.* 100. *a.* 4. *o.*) & distinctionem Præceptorum Decalogi non una sempèr fuit intèr Catholicos Sententia. Esichius, semoto Præcepto de sanctificatione Sabbati, eò quòd non esset observandum ad litteram secundùm omne tempus, sic distinguit, ut primum Præceptum ponat: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Secundum: *Non habebis Deos alienos coram me.* Tertium: *Non facies sculptile.* Quartum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Quintum: *Honora Patrem & Matrem* &c. Sextum: *Non occides.* Septimum: *Non mœchaberis.* Octavum: *Non furtum facies.* Nonum: *Non dices falsum testimonium.* Decimum: *Non concupisces.* Altera Sententia (*ib.*) fuit Origenis, qui pro primo Præcepto ponit: *Ego sum Dominus tuus, non habebis Deos alienos.* Secundum: *Non facies sculptile.* Tertium: *Non assumes nomen Donini Dei tui in vanum.* Quartum: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Alia sex ut Esichius. (*Ibid.*) Tertia & communis Sententia est Augustini Q. 71. in Exod. qui distinguit & disponit

Præcepta Decalogi eo modo & ordine, quo in Ecclesia Catholica distinguunt Theologi & Catechistæ.

Undè ad 1. (*Ibid.*) momentum Esichii R. Quòd præceptum de sanctificatione Sabbathi inconvenientèr positum fuisset intèr Præcepta Decalogi, si nullo modo ad Decalogum pertineret. Ad 2. R. (*Ibid.*) Quòd, cùm scriptum sit Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire*, ejusdem rationis esse videtur, & sub eodem præcepto cadere: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &, *Non habebis Deos alienos*. Ad 3. ejusdem, & 1. Origenis. R. Quòd facere sculptile, vel similitudinem non sit prohibitum, nisi secundùm hoc, ut non colantur pro Diis: nàm in Tabernaculo Deus præcipit fieri imagines Seraphim Exod. 25. Undè pertinet ad idem Præceptum: *Non habebis Deos alienos*, &, *Non facies sculptile*. Ad ultimum utriusque. R. Quòd cum cupiditas uxoris alienæ pertineat ad concupiscentiam carnis, & cupiditas rerum alienarum ad concupiscentiam oculorum, sicut Deus distinctis præceptis harum cupiditatum actiones prohibuit: *Non mœchaberis*, *Non furtum facies*: ita & ipsas cupiditates.

Nota. Plures hic instituunt Tractatum specialem de Præceptis Decalogi; nec malè: sed juxta S. Th. methodum omnia, quæ hanc materiam spectant, suis propriis locis hinc & indè explicamus. Ea enim, quæ pertinent ad tria prima Præcepta, fusè discussa habes in Dissertationibus de Religione: quæ spectant quartum præceptum in Dissertatione de Pietate & Observantia: quæ pertinent ad sex alia Præcepta, in tractatibus de Justitia, & Temperantia.

TRACTATUS
DE FORTITUDINE,
ET VIRTUTIBUS EI ANNEXIS
à Q. 123. *ad* 140.

DISSERTATIO I.
DE FORTITUDINE, ET VITIIS OPPOSITIS.
QQ. 123. 24. 25. 26. 27.

ARTICULUS I.

De ipsa Virtute Fortitudinis.

FOrtitudo est virtus moderans motus animi circà quæcumque terribilia, præsertim circà pericula mortis sustinenda, vel repellenda. Colligitur ex Auctore per totam q. 123. & patebit ex dicendis.

Dico 1. (*Q.* 223. *a.* 1. *o.*) Fortitudo est vera virtus. Prob. (*Ib.*) Virtus definitur, quæ facit bonum habentem, & opus ejus bonum reddit; bonum autèm hominis est esse secundùm rationem; atqui fortitudo facit hominem esse secundùm rationem: ergo. Prob. Min. Id, quod impedit, quominùs homo recedat a bono rationis proptèr difficilia & pericula, sed contrà firmat animum ad ea juxtà rectam rationem, vel toleranda, vel propulsanda, facit hominem esse secundùm rationem; atqui id vocatur fortitudo, ex analogia ad fortitudinem corporalem, qua ea, quæ corpus validè impellunt, homo immotus sustinet, aut repellit: ergo.

Dico 2. (*Ib. a.* 2. *o.*) Fortitudo propriè sumpta est virtus specialis. Declaratur: (*Ib.*) Fortitudo potest sumi duplicitèr. 1. Latè & generalitèr pro qualibet firmitate in bono honesto: & secundùm hoc est generalis virtus, seu potiùs conditio cujuslibet virtutis: ad virtutem enim juxtà Philosophum 2. Ethic. requiritur firmitèr & immobilitèr operari, idque maximè quandò est perfecta. 2. Sumitur fortitudo pro speciali firmitate animi in sustinendis & repellendis his, in quibus maximè difficile est firmitatem habere, scilicèt in gravibus periculis, & maximè mortis; & sic sumpta fortitudo est virtus specialis, quia ibi est speciale objectum & specialis difficultas in bono rationis retinendo.

Si dicas, quamlibet virtutem, si est perfecta, ad id sufficere; castus enim v. gr. in gradu heroico, nullius mali metu impelli potest ad violandam castitatem. R. (*Ib. a.* 7. *o.*) alias virtutes id præstare, non ex affectu boni fortitudinis, quatenùs scilicèt congruum est rationi, ut sic temperentur timores & audaciæ, qualitèr decet virum fortem; sed ex affectu propriæ honestatis, & quia necessarium est ad finem suum; undè potiùs id præstant imperando, quàm eliciendo; ideòque debet assignari aliqua virtus, quæ id præstet ex affectu illius boni fortitudinis per se, & eliciendo.

Dico 3. (*Ib. a.* 3. 4. & 5. *o.*) Fortitudo immediatè versatur circà timorem & audacias, illos & illas moderando secundùm rationem: mediatè circà pericula & præsertim circà pericula mortis; quæ tamèn talia sint, ut honestè suscipi, seu sustineri possint. Hæc conclusio (*Ib. a.* 3. *o.*) habet quatuor partes probandas. Prob. duæ priores. Ad virtutem fortitudinis pertinet removere impedimentum, quo per aliquid difficilè voluntas rètrahitur a sequela rationis; atqui mala, aut pericula quæcumque nullius voluntatem retrahunt a sequela rationis, nisi quia timentur: ergo fortitudo immediatè versatur circà timores eos cohibendo, ne quis pericula nimiùm timeat, & ex eorum timore a bono rationis recedat. Et quia oportet, hæc pericula non solùm firmitèr tolerare, sed etiàm quandoquè pro circumstantiis aggredi & repellere, quod pertinet ad audaciam, hanc etiàm, ut maneat intra limites rationis, scilicèt ut non temerè, sed prudentèr aggrediatur, aut etiàm fugiat, si necesse sit, moderatur animi fortitudo.

Prob. 3. pars. (*Ib. a.* 4. *o.* & *ad* 1.) Quamvis fortitudo firmet animum in omnibus malis & periculis, ne illorum metu a bono honesto deflectat; non tamèn ex toleratione cujuscumque mali reputatur homo simplicitèr fortis, sed ex hoc quòd benè tolerat maxima mala: ad rationem enim virtutis pertinet, ut respiciat ultimum, seu perfectum, &, ut ait Philosophus, virtus ex perfectioribus actibus suis metienda est; atqui intèr omnia mala corporalia maximè terribile est mors, quæ tollit omnia corporalia bona: ergo fortitudo versatur principalitèr & primariò circà pericula mortis, secundariò circà alia pericula.

Prob. 4. pars. (*Ib. a.* 5. *o.*) Quia, cum fortitudo sit virtus, & ideò in bonum tendat, consequens est, quòd non nisi proptèr bonum & honestum firmet animum adversùs pericula. Conf. Materia virtutis non potest esse inhonesta, alioquìn virtutis rationi repugnaret, & ejus capax non esset: sicut materia, quæ repugnat figurationi, non est capax figuræ statuæ: ergo virtus fortitudinis debet versari circà pericula, quæ suscipiuntur, aut sustinentur proptèr aliquod bonum honestum, seu, ut dicit Philosophus, proptèr optimum. Hinc

Colliges. 1. (*Ib.*) fortitudinem versari maximè circà pericula, quæ imminent in bello justo, sive communi, sivi particulari; quia in bello communi justo subeuntur pericula proptèr bonum commune: in bello particulari justo proptèr aliquam virtutem, puta justitiam, castitatem, fidem, &c. ut si intentetur mors Judici, nisi ferat iniquam sententiam; virgini, nisi consentiat stupratori; fideli, nisi fidem abneget.

Et quamvis (*Ib.*) pericula mortis, quæ imminent ex ægritudine, vel tempestate maris, vel ex incursu latronum, vel ex alia simili causa, non videantur alicui imminere ex hoc, quòd prosequatur aliquod bonum honestum, nec ideò per se & directè sint materia fortitudinis: quia tamèn ex intentione operantis possunt suscipi, vel sustineri proptèr aliquam virtutem (ut qui amico peste infecto inservit: qui navigat in mari periculoso proptèr aliquod pium negotium, aut saltèm proptèr ipsum bonum fortitudinis, quia nempè sic congruit viro forti) ideò etiàm pertinere possunt secundariò ad fortitudinem.

Colliges 2. e contrà, latrones, sicarios, duellantes, injusta bella gerentes non habere veram virtutem Fortitudinis, sed similitudinem tantùm, nec dicendos esse fortes, sed temerarios, & crudeles; quia non subeunt pericula proptèr bonum virtutis. Neque dicas, præfatos posse hæc pericula subire proptèr ipsum bonum Fortitudinis, &, ut de superioribus dictum est; quia, ut dixi, materia inhonesta repugnat virtuti, & est illius incapax: ut itaque sive affectus interni, sive actus externi sint materia Fortitudinis, requiritur, quòd sint per se tales, ut, accedente moderatione Fortitudinis, sint absolutè honesti, & rationi consentanei.

Dico 2. (*Ib. a.* 6. *o.*) Sustinere, id est, immobilitèr sistere in periculis, est principalior actus Fortudinis, quàm aggredi. Quia Fortitudo est magis circà timores reprimendos, quàm circà audacias, ut dictum est prima parte conclusionis præcedentis; atqui sustinere sequitur represionem timoris, aggredi autèm moderationem audaciæ: ergo.

Dices 1. Difficilius est aggredi, quàm sustinere; atqui virtus est circà difficile, & bonum, ut dicitur communitèr ex Philosopho: ergo. R. N. Maj. 1. (*Ibid. ad* 1.) Quia videtur aliquis sustinere ab aliquo fortiori invadente; qui autèm aggreditur, invadit per modum fortioris; difficilius est autèm pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. 2. Quia, qui sustinet, jam sentit pericula imminentia, & ille, qui aggreditur, habet ea ut futura: difficilius est autèm non moveri a præsentibus, quàm a futuris. 2. Quia sustinere importat diuturnitatem temporis, sed aliquis potest aggredi ex subito motu; difficilius est autèm diù manere immobilitèr, quàm subito motu moveri ad aliquod arduum.

Dices 2. Majoris potentiæ esse videtur agere, quàm pati; atqui aggredi est agere, sustinere est pati. R. D. Min. (*Ibid. art.* 2.) Sustinere est pati quoad corpus, C. quoad animum, N. est enim actus animæ fortissimè inhærentis bono; virtus autèm magis attenditur circà animam, quàm circà corpus.

Dico 5. (*Ib. a.* 11. *o.*) Fortitudo est virtus Cardinalis, Prob. (*Ib.*) Illæ virtutes, intèr humanas dicuntur Cardinales, quibus inest excellentèr una ex quatuor conditionibus omni virtuti communibus, quæ sunt *Discretio*, *Rectitudo*, *Firmitas*, & *Moderamen*; atqui Fortitudini inest excellentèr firmitas, quippè qua firmatur animus, non solùm adversùs voluptates, sed etiàm adversùs mala, & pericula, & ea non qualiacumque, sed maxima, scilicèt mortis: ergo. Consule 1. 2. q. 61. a 3. & 4.

Dico 6. (*Ibid. a.* 12. *o.*) Fortitudo non præcellit, intèr omnes Virtutes Cardinales, sed est ordine dignitatis tertia. Prob. Virtutes æstimari debent secundùm bonum rationis: hoc autèm bonum essentialitèr habet Prudentia, est enim perfectio ipsius rationis, in qua resident, & ex ea dictatur medium omnibus virtutibus: hujus boni effectiva est Justitia, quatenùs ad illam pertinet ponere ordinem rationis in rebus humanis, etiàm illis, quæ ad alios ordinantur: hujus boni fortitudo est conservativa, moderando timores periculorum mortis, & Temperantia moderando delectationes tactûs, ne & illi, & istæ ab isto bono rationis abducant; atqui quod essentialitèr dicitur, potius est eo, quod dicitur effectivè, & hoc est potius eo, quod dicitur conservativè, & majus est esse firmum contrà pericula mortis, quam contrà voluptates: ergo intèr Virtutes Cardinales potior est Prudentia, 2. Justitia, 3. Fortitudo, 4. Temperantia.

Si dicas, Virtutem esse circà difficile, & bonum; Fortitudinem autèm esse circà difficilimum. R. (*Ibid.*) rationem Virtutis magis consistere in bono, quàm in difficili: undè magis mensuranda est magnitudo Virtutis secundùm rationem boni, quam secundùm rationem difficilis.

Petes, utrùm fortis delectetur in suo actu? Antè Resp. (*Ibid. ad* 2.) Nota, duplicem esse delectationem; unam corporalem, quæ consequitur ex sensibus corporalibus, maximè ex tactu corporeo; aliam animalem, quæ consequitur ad apprehensionem animæ, non solùm sensitivæ, sed etiàm intellectivæ, ex quo capite potest etiàm dici spiritualis. Hoc notato, R. Fortem ex una parte delectari in suo actu delectatione animali, quia delectatur in ipso opere virtutis, & in ejus fine tàm remoto, quàm proximo: ex alia parte habere undè doleat, etiàm animalitèr, dùm apprehendit amissionem propriæ vitæ; itèm & corporalitèr, dùm sustinet diros dolores, flagella, vulnera, &c.

Et quamvis (*Ibid. a.* 8. *o.*) virtus fortitudinis faciat, ut per hujusmodi dolorum vehementiam ratio non absorbeatur, nec a recto deficiat, facit tamèn sensibilis dolor non sentiri animalem delectationem, nisi fortè per superabundantem Dei gratiam, & consolationem spiritualis animæ delectatio superet, & veluti obtundat vim doloris corporalis, ut accidit quibusdam SS. Martyribus, specialitèr, S. Tiburtio, qui, cum sempèr carbones accensos nudis plantis incederet, dicebat sibi videri supèr roseos flores ambulare. Dolorem verò, seu tristitiam animalem ex apprehensione vitæ amittendæ superat delectatio Virtutis, in quantùm homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuscumque ad eam pertinentibus.

ARTICULUS II.

De Martyrio. Q. 124.

Martyrium Græcè, dicitur Latinè *Testimonium*: usu verò ab Ecclesia recepto sumitur pro testimonio singulari Veritatis Christianæ per tolerantiam mortis: ut dum quis pro Fide, aut alia virtute non deserenda mortem subit. Hoc modo acceptum Martyrium tribuitur, & ipsi morti pro veritate toleratæ, ut cum dicimus, aliquem subiisse Martyrium; & actui, quo pro veritate sustinenda ipsa mors accepratur; & de hoc ultimo est quæstio. Undè

Dico 1. (*Q.* 124. *a.* 1. & 2. *o.*) Martyrium est actus Virtutis Fortitudinis. Prob. 1. Pars (*Ib. a.* 1. *in a. s. c.*) quòd sit actus virtutis. 1. Quia præmium Beatitudinis non nisi virtutis actui debetur; atqui debetur Martyrio juxtà illud Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur proptèr justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum*: ergo. 2. (*Ibid. o.*) Quia ad rationem Martyrii pertinet firmitèr stare contrà persequentium impetus in veritate, & justitia, quod est bonum rationis; atqui virtutis est firmare in bono rationis: ergo.

Prob. 2. Pars. (*Ib. a.* 2. *o.*) Ad fortitudinem pertinet, ut confirmet hominem in bono virtutis contrà pericula mortis, illius præsertim, quæ est in bello, ut dictum est a. præcedenti; atqui manifestum est, quòd in Martyrio homo firmitèr confirmetur in bono virtutis, dum Fidem & Justitiam non deserit proptèr pericula mortis, quæ in quodam certamine particulari a persecutoribus imminent: undè canit Ecclesia de Martyribus: *Fortes facti sunt in bello*: ergo.

Dices 1. contrà 1. Partem. Omnis actus virtutis est voluntarius; atqui Martyrium quandoquè non est voluntarium, ut patet de Innocentibus pro Christo occissis: ergo. R. (*Ibid. a.* 1. *ad* 2.) Quosdam dixisse, quòd Innocentibus acceleratus sit miraculosè liberi arbitrii usus, ità quòd etiàm voluntariè Martyrium passi sunt. At, quia hoc auctoritate Scripturæ, aut Patrum non comprobatur, imò contrarium Patres asserunt, ut videre est apùd Aug. Serm. 66. de diversis, & Ep. 28. apùd S. Petrum Chrysol. Serm. 152. & alios; id meliùs dicendum est, quòd Martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occissi per Dei gratiam sunt assecuti. Nàm effusio sanguinis proptèr Christum vicem gerit baptismatis. Undè, sicùt in pueris baptizatis per gratiam Baptismi meritum Christi operatur ad gloriam obtinendàm, ità & in occissis proptèr Christum meritum Martyrii operatur ad palmam Martyrii consequendam. Sunt ergo SS. Innocentes dicendi Martyres, Martyrio sumpto, non pro voluntaria mortis acceptatione proptèr Christum, sed pro ipsa morte propter Christum tolerata; quomodò etiàm nùnc forent Martyres infantes nondùm baptizati, qui in odium Christi, aut Religionis Christianæ occiderentur. Ex quo inferes, in Martyrio conferri gratiam non vi operis operantis, sed vi operis operati; licèt tamèn ipsum Martyrium non causet instrumentalitèr gratiam, sicùt causant Sacramenta: de quo, fusiùs dum de Baptismo.

Dices 2. contrà 2. Partem: Quælibet virtus, præsertim si sit perfecta, sufficit, ut amore sui honesti mortem perferat, quandò mors est necessaria ad hunc finem, v. gr. castitas, si mors sit necessaria ad eam conservandam: ergo. Prob. Ant. Ejus virtutis est amare finem, & media necessaria ad illum, nec minùs efficax est affectus castitatis ad bonum proprium, quàm affectus fortitudinis ad suum: